



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Virtutibus Moralibus, De Justitia Et Jure Et De
Contractibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDCCXXXIII.

VD18 90392159

Sed quid, si dubium sit utrum ab ipso adultero, an à marito proles sit
genita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40993

*Sed quid si dubium sit, utrum ab ipso adultero,
an à marito proles sit genita?*

Resp. Tunc tenentur adulter, & adultera restituere marito, vel ejus hæredibus, pro ratione majoris vel minoris dubii, judicio prudentum. *Ita Molin. Rebel. Layman & alii.* quia uterque est causa injustâ periculi pretio æstimabilis, quod subit maritus prolem alienam tanquam propriam alendi. Secundò iniquum est, ut in dubio damni totum illius periculum subeat innocens, & causa injusta talis periculi, quæ posuit actionem de se damnificativam, sit omninò libera.

Obj. 1. In dubio nemo spoliandus est re sua, & melior est conditio possidentis.

Resp. Hoc axioma æquè imò magis faveat marito, quàm adulteris: nam ille est in possessione suorum bonorum, quibus in dubio non debet spoliari, & insuper ei certò facta est injuria de se damni illativa. Spoliaretur autem in dubio, si deberet bona sua impendere ad alendam prolem dubiam: nam quamdiu dubium est, an proles sit ab ipso, an ab adultero genita, dubium quoque est, an ipse, an adulter teneatur illam alere; neque enim tenetur maritus alere nisi suam prolem.

Obj. 2. Proles in dubio, an sit legitima, debet præsumi legitima: nam ratione matrimonii est in possessione suæ legitimatis, qua non debet privari ratione dubii.

Resp. Proles debet quidem tunc in foro externo

Tom. II,

S

terno

Sed

terno præsumi legitima, & habet etiam in foro interno jus dividendi hæreditatem cum legitimis. Sed quia in hoc dubio manet marito periculum certum damni subeundi, in quod adulteri eum injustè conjecerunt, hi tenentur hanc injuriam pretio æstimabilem refarcire. Et præsumptio illa est solum in gratiam prolis innocentis.

Q. 4. Quomodo tenetur adultera damna compensare?

Resp. I. Adultera tenetur, quantum fieri potest citra famæ jacturam, & vitæ periculum, procurare, ne quid damni maritus, & legitimi hæredes ratione prolis spurix patiantur. *Est communis*, quia si omnibus modis, quibus potest, non caveret damnum marito, & hæredibus, iis inferret injuriam, cum posuerit actionem injustam damni illativam. Hinc si habeat bona propria, tenetur ex illis damna compensare. Si non habeat, tenetur rem familiarem diligentius administrare, de cultu corporis sui & sumptibus solitis propriis detrahere, quantum potest, spectata conditione statûs, valetudine, &c. Item relinquere in morte solis legitimis tantum ex bonis, de quibus liberè disponere potest; & juxta multos religiosum statum spurio suadere, si ad eum idoneus videatur.

Resp. II. Si hisce modis plenè potest damnum compensare, non tenetur revelare crimen